



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Incarnatio Mystica Sive Christiformitas

Roger, Nicolaus

[Erscheinungsort nicht ermittelt], Anno MDCLXXXIV.

Cap. VIII. Iesvs amabilis ob paßionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37940

Etus quos expectas, suaves & uberes
tibi refundam. Amen.

CAPUT VIII.

IESVS amabilis ob Passionem.

EST quod me plus cæteris incita-
mentis ad amorem Christi mo-
vet, (a) plus urget, plus accendit, su-
per omnia, inquam, reddit amabilem
te mihi Jesu bone, calix quem bibisti,
opus nostræ redemptionis, hoc omni-
no amorem nostrum facile vendicat
totum sibi, hoc inquam est, quod no-
stram devotionem blandius allicit, &
justius exigit, & arctius stringit & af-
ficit vehementius: multum quippe la-
boravit in eo Salvator, (b) ô quan-
tum laboravit sustinens! Exinanivit
semetipsum usque ad carnem, ad
mortem, ad crucem. Ecquis digne
penset quantæ fuerit humilitatis,
mansuetudinis, dignationis Domi-
num majestatis carne indui, multari

E 2

mor-

(a) Bern. serm. 20. Cant. (b) ser. 11,
Cant, & serm. 20.

morte, turpari cruce? sed dicit aliquis non valuit opus suum reparare creator absque ista difficultate? valuit, sed maluit cum injuria sui, ne pessimum atque odiosissimum vitium ingratitude occasionem ultra reperiret in homine. Multum igitur fatigationis assumpsit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commoneretque gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minus esse devotum fecerat conditionis facilitas. Dixit, & facta sunt, mandavit & creata sunt, sex denique diebus condidit omnia denihilo, & hominem inter omnia. At verò in reparationis nostræ opere laboravit annos triginta, eoq; amplius, in dictis sustinuit contradictores, & in factis observatores, & in tormentis illusores, & in morte exprobratores. Ecce quomodo dilexit: Adde quòd hanc ipsam dilectionem non reddidit, sed addidit: nam quis prior dedit & retribuetur ei? sed ut

S. Jo-

S. Joannes Evangelista ait: (c) non quia nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos. Denique dilexit etiam non existentes, sed adjecit resistentes diligere, juxta Pauli testimonium dicentis, (d) quoniam cum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, alioquin si non dilexisset inimicos, nondum possideret amicos, sicut necdum quos sic diligeret essent, si non dilexisset qui nondum essent. Quod si dilexit faciendo non existentes, quanto magis patiendo adjecit diligere etiam resistentes?) Omnia pater tuæ circa nos pietatis dignatio! Ô inestimabilis dilectio charitatis! ut servum redimeres filium tradidisti, & quidem voluntati crucifigentium tradidisti. Verè magno pretio emisisti me servum tibi patientissime Jesu! nam vel unica tua levissimaque cogitatio utpote valoris infiniti ex dignitate & reverentiâ personæ tuæ, sufficientissi-

E 3

ma

(c) 1. Ioan. 4. (d) Rom. 5.

ma erat ad redimendos è durissimâ
servitute homines etiam infinites in-
finitos: & vitam tamen illam Dei ho-
minis, & totam, & tot annis consum-
psisti, & sanguinem fudisti : ut quid
profusio hæc? nimirum ut servus tuus
tot essem nominibus, quot gradibus
empta merx vilissima superatur à
pretio tanto. O verè nimiam charita-
tem, quia & mensuram excedit, mo-
dum superat, plane supereminens u-
niversis. *Majorem, inquis, dilectionem
nemo habet, quàm ut animam ponat suam
quis pro amicis suis.* Tu majorem ha-
buiſti Domine, ponens eam etiam
pro inimicis; cùm enim adhuc inimi-
ci essemus, per mortem tuam & tibi
reconciliati sumus, & Patri. Quanam
alia videbitur esse vel fuisse, vel fore
huic similis charitati? vix pro justo
quis moritur, tu pro impiis passus es,
moriens propter delicta nostra, qui
venisti gratis justificare peccatores,
servos facere fratres, captivos cohæ-
re-

redes, exules reges.) Quid ergo tibi non debeo propter nimiam charitatem istam, amantissime Jesu? & si totum debeo pro me facto, quid addam pro me refecto, & refecto hoc modo? in primo opere me mihi dedisti, in secundo te; & ubi te dedisti, me mihi reddidisti: datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo, quid tibi tribuam pro te? nam etiamsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum? Ergo anima Christiformanda ut ardeas vehementius, expende accuratè quis, pro quibus, & à quibus, & qua non in corporis, animique parte, quàm dira, quamdiu patiatur, quanta denique cum siti nostræ salutis; ad hæc nisi disrumperis, nescio an credas. Qui te sic amantem non amat, O amor crucifixe, hic est barbarior feris, pardis asperior, tigride sævior, impacatior ursis, iracundior anguibus, marmore durior, saxis horridior, surdior æquore, inconstan-

104 CHRISTIFORMITAS,
tior auris, immanfuetior ignibus; de-
nique, qui te non amat, sit anathema.
Amemus ergo, redamemus, ample-
ctamur vulneratum nostrum, aut si
non amare volumus, repente possi-
mus mori.

§. 2.

Speremus certè ac supersperemus
in pretio tanto redemptionis no-
stræ, pro quibus patiens, misericors
& miserator Dominus mori non du-
bitavit. Dicamus illi cum latrone:
Domine memento mei, dum veneris
in regnum tuum. Dicamus cum S Ber-
nardo ægrotante, (a) fateor, non sum
dignus ego, nec propriis possum me-
ritis regnum obtinere cælorum. Cæ-
terum illud duplici jure obtinens Do-
minus meus hæreditate scilicet Patris,
& merito passionis, altero ipse contē-
t^o alterū mihi donat, ex cuj^o dono jure
illud mihi vendicans non confundor.)
Quid dubitat modicæ fidei peccator?
quid

(a) lib. i. vita, c. 13.

quid in sanguineo illo mari naufragium timet? An verò pro minimo Deus habet hominem propter quem mori voluit unicum suum? (b) attende ad indicium dilectionis, & promissionis Dei. Tales arrhas accepimus, tenemus mortem Christi, quis mortuus est? Unicus. Pro quibus mortuus est? utinam pro bonis, utinam pro justis. Sed quid est? etenim Christus, ait Apostolus, pro impiis mortuus est, qui donavit impiis mortem suam, quid servat justis nisi vitam suam? Eri-gat ergo se humana fragilitas, non desperet, non se collidat, non se avertat, non dicat, non admitte me in regnum suum, qui promisit Deus est, & venit ut promitteret, apparuit hominibus venit suscipere mortem nostram, promittere vitam suam, venit ad regionem peregrinationis nostræ accipere quod hic abundat, opprobria, flagella, colaphos, sputa in fa-

E s

ciem

(b) Aug. Psal. 148.

ciem crucem, mortem, hæc abundant
in regione nostra, ad talia commercia
venit. Quid hic dedit? quid hic acce-
pit? dedit exhortationem, dedit re-
missionem peccatorum, accepit con-
tumelias, crucem, mortem. De illa re-
gione attulit ad nos bona, & in regio-
ne nostra ipse pertulit mala, promisit
tamen nobis quod ibi futuri sumus,
unde venit, & ait, pater, volo, ut ubi
ego sum, & ipsi sint. Tanta præcessit
dilectio, quia ubi nos eramus fuit no-
biscum, ubi ipse est, erimus cum illo.
Quid tibi promisit Deus ô homo mor-
talis? quia victurus es in æternum:
Non credis? Crede, crede plus est jam
quod fecit, quam quod promisit. Quid
fecit? mortuus est pro te. Quid promi-
sit? ut vivas cum illo. Incredibilius est
quod mortuus est æternus, quàm ut in
æternum vivat mortalis, jam quod in-
credibilius est tenemus. Si propter
hominem mortuus est Deus, non est
victurus homo cum Deo? non est vi-
cturus

cturus mortalis in æternum, propter quem mortuus est, qui vivit in æternum? Sed quomodo mortuus est Deus? & unde mortuus est Deus? & potest mori Deus? accepit ex te, unde moreretur pro te. Non posset mori nisi caro, non posset mori nisi mortale corpus, induit se ubi moreretur pro te, induet te ubi cum illo vivas. Ubi se induit morte? in virginitate matris. Ubi te induet vita? in æqualitate Patris.) Hanc spem habeto repositam in sinu tuo, in cruce ubi promeruit sufficienter sanguine suo Jesus moriens, quantum à Deo sperare vales aut petere. Et revera ubi tuta firmaque infirmis securitas & requies, nisi in vulneribus Salvatoris? (c) Ibi securior habito, quanto ille potentior ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado; fundatus enim sum supra firmam petram. Peccavi peccatum grande, turbatur.

E 6

batur.

(c) Bern, serm. 61. Cant.

batur conscientia , sed non perturbabitur , quoniam vulnerum Domini recordabor , securus , ut columba in foraminibus Petræ. Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras, quid tam ad mortem quod non Christi morte salvetur? Si ergo in mentem venerit tam potens , tamque efficax medicamentum , nulla jam possum morbi malignitate terreri. Et ideo liquet errasse illum qui ait : Major est iniquitas mea quam ut veniam merear , nisi quod non erat de membris Christi , nec pertinebat ad eum de Christi merito ut suum præsumeret, suum diceret quod illius esset , tanquam rem capitis membrum. Ego vero fidenter quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini, quoniam misericordia affluunt , nec desunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus ejus, & pedes, latusque lancea foraverunt , & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleum-

oleumque de saxo durissimo, id est, gustare & videre, quoniam suavis est Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, & ego nesciebam. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? At clavis referans clavus penetrans factus est mihi ut videam voluntatem Domini. Quid ni videam per foramen? clamat clavus, clamat vulnus, quod verè Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi. Ferrum pertransiit animam ejus, & appropinquavit cor illius, ut non jam non sciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis Sacramentum, patent viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Quidni viscera per vulnera pateant? In quo enim clarius quàm in vulneribus tuis eluxisset, quod tu Domine suavis & mitis, & multae misericordiae? Majorem enim miserationem nemo ha-

110 CHRISTIFORMITAS,
bet, quam ut animam suam ponat
quis pro addictis morti, & damnatis.
Meum proinde meritum miseratio
Domini. Non planè sum meriti inops,
quamdiu ille miserationum non fue-
rit.) Hanc ergo spem iterumque, ite-
rumque fixam habeto anima mea, &
repositam in cruce hauri de fontibus
salvatoris amando, sperando, quan-
tum potes, nunquam exhauries. Cæte-
rum conformare memento Crucifi-
xo imprimis dilectionem tuam, ut se-
ria sit: audi enim de cruce clamantem
tot vocibus, quot plagis, serio te, ô ho-
mo, dilexi non simulatè ut vides, serio
tu saltem redama, at serio. Quomodo
serio diliges? odio tui, & patientiâ;
suspecta mihi omnis dilectio, nimis-
que videtur delicata, quæ cruce signa-
ta non est.

C A P U T IX.

Iesus Amabilis ob titulos dignitatis.

Lectissimos Jesu titulos propono,
unde afficiatur magis animus erga
eum,